

graventur¹, [quo repentina dies irae superveniet interitus²] a tanto potuum abusu, fideles suos deterreri contendant. Qui, enim, talia agunt, *regnum Dei non possidebunt*³.

482. — Et insatiabilem opes cumulandi aviditatem suo e grege Pastor arcere contendat, qua, ob transitoria bona, adeo aeternam salutem fideles negligunt, ut magno in discrimine adducantur. Hac, enim, ratione novi generis, sed vetustissimae originis *paganismus* illud ipsos inter invalescit, quo quidam, terrena tantum appetentes, ac infando se ditandi arrepti aestu, aequi honestique proculcantes iura, dum commercii libertatem, crepantibus buccis, exaltant, putidum *egoismum* tantum sectantur; dumque se *humaniores* in omnibus praedicant, *utilitarios*, revera, in cundis se exhibent. Hinc societatis omnis turbatus ordo, divites ditioribus, mediocres divitibus, pauperes mediocri utentibus fortuna invidentes hinc. Plerique, vero, propriae conditionis haud contenti, ut ex novitatum confusione quaestum facere lucrarique possint, res novas moliantur. Hanc, igitur, effrenem ominosamque ditandi concupiscentiam, opportunis sermonibus, compescat Pastor, quo et dolos, iniustitias, similtates, animorum inquietudines, novarum rerum studia, rebellionumque fomites ac causas e suo grege arcebit. Patientiam, e contrario, humilitatem, terrenarum rerum contemptus, coelestium praemiorum studium, aerumnarum tolerantiam, ac ordinis quietem tranquillitatemque in fidelibus inserat evolvatque Pastor bonus⁴. Si mundum universum lucremur, animae vero nostrae detrimentum patiamur, nil nobis prodesse⁵, ipsis in mentem recolet. — Praesertim vero:

I. *Voracem contra usuram quae non semel Ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis, per aliam speciem exercetur eadem*⁶, strenue Pastores decertent, quo tum divitibus, tum indigentibus opportune consulebunt. Haec, enim, nostris praesertim temporibus, satis communis tabes est, quam extirpare vel ad minimum coarctare decet. *Premere, enim, emolumentum sui causa indigentes ac miseros, alienaque ex inopia captare quaestum, non divina, non humana iura sinunt*⁷.

II. *Fraudare vero quempiam mercede debita, grande piaculum est, quo et iras a coelo ultrices devocat*⁸. *Ecce merces operariorum... quae fraudata est a vobis, clamat; et cla-*

¹ Cfr. *Luc.* XXI, 34: *ad Roman.* XIII, 13.

² Cfr. *Prov.* XXIX; I. *Thessalonic.* V. 3.

³ *I Corinth.* VI, 9.

⁴ Cfr. *Berengo op. cit.*, n. 223.

⁵ Cfr. *Marc.* VIII, 36, *Luc.* IX, 25.

⁶ *Leo XIII, Rerum Novarum*, cit.

⁷ *Id.*, *Ibid.*

⁸ *Id.*, *Ibid.*

*mor eorum in aures Domini Sabaoth introivit*¹. Quae non tam publice, quam privatim divitibus recolenda, ne alieno gravati aere, tum humanam, tum divinam iustitiam lacescent.

483. — Et scandala in fide quam maxime eradicanda veniunt, quae in superstitionibus tollendis, in spiritismi usu impediendo, in blasphemis eradicandis, et in festorum observantia continentur, de quibus satis superque alibi monuimus². — Quum vero, in his praesertim Gentibus in quibus cultus promiscuitas habetur, ex fidelium cum haereticis sedulo consortio pericula plura enasci consuescant, ne primi in hoc nimietatem colant, [quin caritatem laedant] eos suadebit Pastor. Ex haereticorum, enim, assidua consuetudine, religionis indifferentismus illud oritur, a quo ad christianorum praeceptorum inobservantiam primum, ac ad incredulitatem ipsam denuo, nullo negotio, paratur iter³. — Sed et Pastor ille qui cum haereticarum pravitatis sectatores tam amice se haberet ut tum publice, tum privatim, cum ipsis relationem foveret, quomodo, quaeso, haec omnia rite praestabit? Qui fieri potest ut de fide moribusque in Ecclesia praedicanti, de eius sinceritate ac convictione fideles credant, si eum extra ipsam cum acatholico vel infideli ministello [Evangelico Ministro vel Rabbino] congregari ac amica ratione agere conspiciant? Nonne, potiusquam de sacerdotali pastoralique Parochi vocatione ac cura altam in ipsos inserere persuasionem, de eius indifferentia vel ecclesiastica negotiatione suspicionem in fidelibus ingereret? Enimvero genuina amicitia minime iungit, quos fides, ministerium vitaeque separant. Ad rem:

Tolerari non potest ut Parochi catholici pareant praecepto sibi a civili gubernio imposito, denunciandi ministris heterodoxis baptismos infantium qui ex matrimonii mixtis nascuntur⁴.

484. — Quae in publicis anticlericalibus [ac semper sectario artificio imbutis] manifestationibus a Pastore servanda ratio sit, haud facile dictu est, quum ex personarum ac locorum circumstantiis quae agenda vitandaque sunt dependeant. Attamen:

a) Ut, *generatim, ab omnibus, indiscriminatim* profanis manifestationibus tum active, tum passive abstineant fideles ipsis suadebit

¹ *Iacob.* V, 4.

² Cfr. indic. alphabetic. *Blasphemia, Festus, Spiritismus, Superstitio*. — Quoad quosdam peculiam nostrorum temporum errores, ac necnon praescriptiones contra modernismum. — Cfr. docum. XXXIX ad vol. calc.

³ Quoad communicationem in sacris, cfr. *S. Offic.* 24 febr. 1752, 5 dec. 1668,

7 aug. 1763, 10 maj 1770, 9 sept. 1874, 7 jul. 1864, 14 jun. 1874, 3 maj 1893, *S. C. P. F.* 7 jun. 1788, 20 aug. 1826, 7, 8 jul. 1889, 11 maj 1892, jan. 1897: *S. U. I.* 12 Maj 1841. — Cfr. *D'Annibale*, 1, 10, 12 jul. 1878.

⁴ *S. C. Negot. eccles. extr.*, appr. *SS. mo* jul. 1890.

Pastor. His, enim, partem haberi, cum adversus auctoritates constitutas ut plurimum sint, illicitum, semper vero indecorum. Enimvero non tumultuantium numero, clamoribus iniuriisque, sed ratione, ab his omnibus quorum interest et qui recte sapiunt, tuendum est ius. Qui vero primis utuntur, vel indignam causam protegunt, vel si iustam, ineptis irrationabilibusque mediis, ipsae consulunt. — His vero uti spectatores interesse, dum quorundam audaciae praebet ansam, et gravia pericula, omnino imprudenter, comparat. Si, enim, plurimorum curiositas his manifestationibus haud incrementum praebet, complurimae ridendae omnino efficerentur ac evanescerent.

b) In anticlericalibus vero manifestationibus, in primis et ante omnia, quae sancta sacra que sunt in tuto ponantur, et ne sacerdotes, immo et fideles ipsi, quoscumque praetextus insolescentibus praebeant, omnino suadendi; hae, enim, re ed effectu vere plateales manifestationes, si neglectae ad nihilum redigi, quotidiana experientia docet. In die, igitur, ac, hora quibus haec comitia indicuntur, domi orationisque secessum fidelibus consulat Pastor, qui idem praestabit, ac ut et suum clerum praestet, curabit.

c) An vero eodem die ipsaque hora adeo anticlericalibus reagendum sit ut catholicorum manifestatio ipsis apponatur, distinguendum videtur:

I. In primis et ante omnia, semper ab his manifestationibus ordinandis, iubendis ac, eo magis, dirigendis sese absteineat Pastor, qui hoc opus catholicis Consociationibus dimittat, quae liberius in re agere possunt, quin sacerdotale nomen ac pastoralis cura pessumdentur. Vae! Pastori qui, improvido accensus zelo, his coeterisque omnibus sese immisceret!

II. In ipsa die ac hora hae contrademonstrationes, communibus in adiunctis omnino dissuadendae videntur, quo et inania, sed non semper innoxia, colluctationis pericula devitantur; dum, enim, passionum imperversatur aestus, nil sperandum, sed omnia timenda sunt. Coeterum ab his mediis, his in adiunctis, Ecclesiam refugere, omnibus in comperto est.

III. An paulo post ad praecisum illum finem ut contra inimicos protestetur eas institui manifestationes deceat, potiusquam ex praeceptis, ex peculiaribus locorum circumstantiis dicendum. Si, enim, vel propter catholicorum pusillanimitatem, vel alias ob causas, maiorem populi multitudinem, vel eius rectam agendi rationem haud haberi posse pertimescendum sit, hae demonstrationes, potiusquam prosint, nocent.

IV. Hoc tamen, quominus publicae catholicae manifestationes iam antea in anno praestitutae, ac nullum huius generis peculiarem

protestationis finem sibi praestituentes apte, ac serio [uti catholicam decet rationem] habeantur, haud impedit. Nostra, enim, sancta fides, nostraque jura sacra non paventem in coenaculo Petrum, sed patientem ac fortem in Janiculo Apostolorum Principem imitare decet: nos debiles quia timidi, inimici Crucis Christi fortes quia audacissimi.

485. — Horum ac coeterorum omnium scandalorum inexhaustus fons et origo malae sectae¹ sunt, quas omnimode seduloque persequi prorsus decet, ne sancta dominica plebs ad infandum deducatur exitium. Has, igitur [quas iterum iterumque gravissimis Ecclesia percussit anathematis iudiciis] publice ac privatim indesinenter fidelibus Pastor denuntiet, ac sinceram ab eis aversionem detestationemque eorum in animis foveat. Enimvero, excommunicationem latae sententiae R. Pontifici reservatam incurrunt *nomen dantes sectae massonicae aut carbonariae, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimis Potestates, seu palam, seu clandestine machinantur, necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denuntiantes, donec denuntiaverint*². — Sed has machinationes omnes, sub versutissima sectaria philanthropiae saepe cooperiri specie, omnibus in comperto est, et [res numquam satis dolenda], quasdam apud Gentes, et inter cleri agmina asserentes massonicae sectae indolem non eandem esse quam in aliis terrae partibus haberi, notum omnibus est. At hunc e mentitum praetextum veluti perniciosissimum, tum in se, tum in fidelibus oppugnare Pastores contendant, ac eundem huius societatis finem eundemque characterem ubique terrarum esse [licet non eodem modo, sed diversa ratione, magis populorum indole variisque locorum circumstantiis accommodata] communem scopum assequi satagi, ipsi meminerint. Ut a sybilo serpens, a rostribus fel et ab unguibus leo, ita a sectarum harum praeceptis ac operibus, quae ipsae sint dignosci licet; quod si quis nondum compererit provideatque, tum ipse, tum dominicus grex infandam poenam luet. Quod utinam omnes intelligerent!

486. — At, nostris praesertim temporibus, et complurimae aliae Societates habentur quae, e mentitis sub nominibus, eadem quae sectae massonicae ac censuris illigatae, praestare contendunt, et a quibus fideles avertere pernecessarium. Enimvero, *simulare et velle, in occulto latere, obligare sibi homines tamquam mancipia, tenacissimo nexu nec satis declarata causa, alieno addictos arbitrio ad omne facinus adhibere,*

¹ Cfr. SS. D. N. Pius PP. X, *Allocut. concistor.* 27 nov. 1911.

² C. Apostolicae Sedis, § II, 4 — Cfr. Instruct. S. Off. 18 maj 1884.

*immanitas quaedam est, quam rerum natura non patitur*¹. Quapropter:

a) Si societas, aut ita secretum servandum iniungat ut neque auctoritati Ecclesiae illud manifestari sinat, aut iusiurandum vel promissionem coecae absolutaeque obedientiae exigat, ea inter Consociationes vetitas recensenda erit, atque adscripti absolute sacramentali privandi, donec reapse ab ipsa penitus recesserint, vel saltem, se continuo recessuros serio promiserint.

b) Societas omnis quae, Ordinario interroganti, secretum revelari non sinit, ipsius auctoritati Ecclesiae id recusare iudicabitur; et obedientia ad omnia parata, sine dubio, caeca et absoluta erit existimanda².

c) Et a societatibus quomodocumque suspectis fideles arceudi sunt, et eo quidem diligentius quod observatam ab iisdem honestatis speciem, corruptelae periculum quod in ipsis latet, difficilius a simplicibus, praesertim hominibus et adolescentibus, persentiri et praecaveri poterit³.

d) Generatim fideles omnes ac praesertim iuniores, ut societates omnes quae iudicio Ordinarii, quomodocumque fidei aut moribus, offendiculo esse possint, sedulo abstineant, graviter a Pastoribus commonendi sunt. Ne vero eorum festivitibus intersint, neque, eo minus, ipsis faveant fortiter suadebunt.

e) In his vero societatibus ex officio iudicandis Pastores ne se immisceant, sed cum de quarumdam indole ac honestate dubium exhoriat, Ordinarium consulant, cuius utrum societas aliqua, vel ex sua natura, vel ex temporum, locorum ac personarum circumstantiis sit fugienda, sententiam ferre est.

f) Quae vero in Nationibus singulis hae suspectae societates sint, locorum circumstantiae ac peculiaris decreta S. RR. C., Synodorum vel Conciliorum Nationalium statuta dicent⁴.

¹ Leo XIII, encycl. *Humanum genus* cit. — Cfr. S. U. I. 5 jul. 1837, 27 jun. 1838, 5 jul. 1878, 5 august. 1898; Lehmkühl, 1, 657; D'Annibale, Comment. in C. Apost. Sedis, n. 118.

² Instruc. S. C. P. F. 16 nov. 1870 ad Arch. Quebec.

³ Instruct. S. Offic. de Sect. Massonic 10 maj 1884.

⁴ Cfr. S. Offic. 21 aug. 1850 [pro *Odd Fellows; sons of Temperance; Knights of Pythias*]; Instruct. S. C. R. et U. Inquisit, 20 jun. 1894; Acta S. Sedis, vol. 26 p. 752 [pro *Independent Order of Good Templars*].

§ VII — De malis libris, diariis, ephemeridibus et similibus.

SUMMAE RERUM. — 487. Animadversiones praeviae. — 488. De libris prohibitis canonica synopsis. — 489. De malis libris a fidelium manibus arcendis, et ad rem peculiarem industriae negativae. — 490. De diariis quae fidelibus a Pastore servanda sint, ac in re industriis positivis. — 491. Gravissimae SS. D. N. Pio PP. X apostolicae lamentationes quae. — 492. Quae quoad utraque per se ipsum prae oculis habere Pastor possit debeatque.

487. — *Inter diversa insidiarum genera quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque societatis inimici, populos seducere adnituntur, illud certe in primis est, quod nefariis consiliis suis iam diu in novae artis librariae pravos invenerunt. Itaque in eo toti sunt ut impios libellos et ephemerides, ac pagellas, mendacii, calumniarum ac seductionis plenas edere in vulgus ac multiplicare quotidie non intermittant. Immo eousque progressa est iniquitas ut praeter colluviem perniciosorum librorum religioni per se infestam, in Religionis detrimentum vertere nitantur etiam Sacras litteras, ad Religionis ipsius aedificationem divinitus nobis datas*¹. Si, igitur, universalis erga divinas res tarditas, immo taedium quosdam occupatos tenet, si incontentum animum alios contrahunt, si sensuum irritamenta quosdam captivos detinent, tandem, si multorum, immo, fides naufragium patitur, nil mirum. Mortiferum, enim, venenum miseranda sua effert!

488. — Sed, antequam ad rem pastoralia quaedam monumenta tradamus, heic quoque brevem at, quoad Pastores spectat satis completam canonum summulam sic, paucis, perstringimus:

1) Prohibentur generatim quoad lectionem, conservationem, impressionem ac defensionem, etc.:

I. Sub censura excommunicationis latae sententiae:

a) *Reservatae* speciali modo Summo Pontifici:

α) Apostatarum et haeticorum libri haeresim propugnantes.

β) Cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras *nominatim* prohibiti libri.

b) *Non reservatae*:

α) Quaecumque impressio librorum Sacrae Scripturae necnon adnotationes et commentaria eorundem, sine Ordinarii approbatione.

c) Sine censura inter alia prohibentur:

α) Quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes libri, aut religionis fundamenta utcumque evertentes, necnon libri acatholicorum ex professo de religione, et aliquo modo contra fidem tractantes.

¹ Pius PP. IX Encycl. Qui pluribus 9 dec. 1846. — Cfr. Benedict. XIV, *Sollicit.* 9 jul. 1753, Pius IX *allocut.* 20 aprile 1849; Leo XIII. C. *Offic. et numer.*, 25 jan. 1898.

β) Versiones Sacrae Scripturae in lingua vulgari, nisi ab Apostolica Sede probatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum, cum adnotationibus ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque scriptoribus.

α) Libri res lascivas aut obscenas ex professo tractantes, narrantes aut doctes.

δ) Libri in quibus sortilegia, veneficia, auguria, incantationes, magiae ac evocatio spirituum, aliaeque huius generis superstitiones docentur, vel commentantur.

ε) Immagines aut indulgentias aliaeque in materia sacri cultus externi prohibita.

φ) Libri in quibus Deo aut Beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae eiusdem cultui, vel Sacramentis, Apostolicae Sedi detrahatur.

γ) Ea opera in quibus Sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur.

ι) Libri qui, data opera, ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem, vel religiosum probriis afficiunt;

λ) Libri, aut scripta quae novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula narrant, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia.

ξ) Libri qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tumentur.

II. Quoad facultatem legendi et retinendi libros prohibitos:

a) Libros sive specialiter, sive generaliter praescripti, si tantum legere et retinere poterunt qui a Sede Apostolica, opportunas trabuerint facultates: qui secus egerint, in excommunicationem R. Pontific. speciali modo reservatam incurrunt.

b) Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos¹, nequeunt legere et retinere libros prohibitos quoslibet aut ephemeres ab Ordinariis locorum proscriptos, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscumque damnatos. Meminerint, insuper, qui licentiam libros prohibitos obtinuerint, gravi se praecepto huiusmodi libros custodire, ne ad aliorum manus perveniant².

489. — Ne fideles maximeque iuventus in immoralitatis laqueos incidant, in libros vigilantissimam Pastores animarum curam gerere oportet, qua tantum pestifera huius furfuris opera a populo christiano, et in primis, a iuventute arcentur. Quo, enim, inimicus homo studiosius zizania disseminat, ut improbitati probitas, impietati pietas opponatur, pastoralis vigilantiae seges ac semina eo sollertius dominico in agro spargenda sunt³. Quapropter:

a) Quinam per familias pervagentur ac legantur libri invigilet Pastor, qui tum in publicis suis sermonibus, ac, dum licet, tum privatis conversationibus, quanta e malorum librorum lectione non fidei et mo-

¹ Cfr. document. XL ad calc. volum.

² Leo XIII, C. *Officior. et muner.* 25 jan. 1887, cap. IX, n. 26, Tit. I. — Cfr. Pius PP. X, Encycl. *Pascendi* cit. ad III.

³ Cfr. SS. D. N. Pius PP. X encycl. *Pascendi* cit. ad II.

ribus tantum, sed civili quoque consortio gravissima emanent pericula, eorumque in re gravissimas obligationes, fidelibus recolet severeque inculcabit. Haec, enim, pestis eo facilius damnosiusque grassatur, quo commodius contrahi, comparari servarique potest. Ne tamen animarum pericula, potiusquam minuantur, augeantur, prudenter agendum est, et Divinae Misericordiae patienter sternenda est via.

b) Qui in scholis tum uti textus, tum ad consultationem libri habeantur, advigilandum quam maxime, et de hoc diximus mox¹.

c) In bibliopolis et, praesertim, in veterum librorum commercium agentes sedulo invigilandum, ne quidam, qui, ut plurimum, clanculum, perquam caute, quibusdam tantum [praesertim iuvenibus] quosdam exhibent libros, habeantur. Ad has vero diabolicas patefaciendas artes, fidatum quendam laicum mittere qui iniqui commercii testimonia praebere possit, perutile erit, et auctoritatis civilis ad rem adhiberi brachium pernecessarium. Haec, enim, ut plurimum, flagitiosum hunc quaestum, gravissimis poenis, coercent².

d) Quae in tonstrinis, coffei ac cibi domibus [*caffè, restaurants*], in publicis hospitiiis [*hôtels*] et ita porro, diaria recipiantur disquiret Pastor bonus, ac ut saltem Ecclesiae infensiores excludantur, eorum dominis suadebit. Si vero ita se habeat ut catholica diaria, minoribus cum expensis, inibi recipiantur, mala quoque, indirecte, expungeret, imminueret, vel saltem adversus ipsos antidotum praeberet. Quum, tandem, ad hoc assequendum frequentes insistentesque catholicorum diariorum ex visitorum parte expostulationes plurimum in dominos valeant, ne haec desideretur Pastoris boni cura erit. Si frequentatores, enim, amittere hi norint, profecto impedimenta auferent vel, saltem imminuent. — Quamvis vero et his in locis catholica diaria omnia utilia exstent, tamen *illustrata* illa quae contra socialismi luem, potiusquam prolixis demonstrationibus, brevibus dictis ac imaginibus, iniquissima ac phantastica eius placita ad nihilum redigunt, a pluribus praeadamari, quotidiana experientia amplissime docet,

e) In viae ferreae stationibus qui libri et similia publice exponantur ac vendantur advigilandum quoque est, ne, ex principio ac consueto more, pornographici ac Ecclesiam eiusque ministros insultantes ac calumniantes saltem libri viatoribus praesto sint. — Interdum viarum ferrearum Societates ipsae in eorum cum bibliopolis contractibus

¹ Cfr. pag. 525, 529.

² Pro Italia cfr. *Regolamento di pubblica sicurezza*, 19 giug. 1889, art. 64:

Epist. circul. *Ministri Luzzatti*, 16 jun. 1910. Pro Europa cfr. *Convent. Internat. Parisiens.* 19 april. 1910.

hoc prohibent, et tunc facilius remedii locus est. Ut plurimum, vero, cum lucri tantum causa hae publicationes prostent, congruentes cum bibliopolis inire pactiones, quibus, dum modicum quaestum Pastor refundit, tantam iniquam mercedem e medio aufert, iuvabit.

f) Et bibliothecas [uti aiunt] circulantes advigilandae sunt, ne saltem libri contra fidem ac bonos mores distribuuntur. Postremorum vero exhibitio in publicis Status bibliothecis, iuvenibus ut plurimum, legibus vetatur, et ne adversum ipsas quoquomodo peccetur, cavendum sedulo est.

g) In ambulantes mercatores ac protestantium sectis emissarios, qui parvos et seducentes titulo tractatus, veneno refertos, poemata, apocrypha biblia hinc inde [nullo fere pretio] incautis distribuunt, sedula vigilantia adhibeatur. Eorum, enim, interdum proacitas tanta est ut in die festo, et fidelibus ab Ecclesiis discedentibus in sacro praesto sint.

h) Ne libri superstitionem redolentes, vel de dubiis prophetiis, incertis miraculis, falsisve indulgentiis loquentes divulgentur Pastores invigilent et [si necessitas est] ad Ordinarium eos deferant¹.

i) Tandem ut hi libri catholici vere tenoris tantum, sinceram alentes pietatem, pro pia precatione a fidelibus adhibeantur Pastor curabit. Nil, enim, quam vaporosa histericaque [haeresum saepe referta] pietas, genuinae religioni magis officit².

490. — Quae de libris, pressius sumptis, monuimus, et de ephemeridibus ac diariis ingeminandum profecto est, ac adeo a fortiori quum haec facilius comparentur ac fere quotidie nullo negotio, venenatum ac perniciosissimum, alimentum legentibus praebeant. Stillantem, enim, guttam et lapidem excavare sciunt omnes, qui et, saepe ex praedilecto diario in omnibus complurimi sententiam ferre haud ignorant; quo fit, ut sensim sine sensu, e pestiferis cathedris, diudicandi rationem modosque fideles insumant. Perquam sapienter, igitur, statutum invenimus:

I. Diaria, folia ac libelli periodici, qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur³.

II. Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles admonere³. Ad rem:

¹ Cfr. *Instruct. S. C., Negot. Extraord.*, 27 jun. 1902, ad VI; *Deliberat. Episcop. Longobard.* 1907.

² Id. *Ibid.* - Cfr. *Leo XIII. C. Offic. et numer.* c. VII, n. 20.

³ *Leo XIII, Ibid.* n. 21; - Cfr. *Eiusd. encycl. Pegrata nobis*, 13 sept. 1886.

a) Quamvis, tum quoad libros, tum quoad ephemerides ac diaria haec omnia negativam pastoralis curae partem spectantia argumenta ad plura praecavenda prosint, attamen si et Pastoris positiva opera haud accedat, vix aliquid permansurum ac efficace ipse assequetur. Temporibus, enim, praesertim nostris, in quibus legendi ac eventus dignoscendi aviditas ac immoderata curiositas ubique ac in omnibus coetibus tanto invalescunt, nisi malis libris boni, ac catholicae ephemerides perversis sufficiantur, huius selectionis opera fere ad nihilum redigi, pro certo Pastores teneant. Ceterum nostrorum temporum, quamvis nunquam satis deploranda reprobandaque, necessitas haec est, qua tantum iniquissimorum hominum artes fallaciasque [qui haec perversionis media amplissime adhibent] refellere licet.

b) Quidquid, igitur, ad bonam typographicam artem [*buona stampa, bonne presse*] spectat, adeo quam maxime ac impense Pastor curet ut inter sui muneris debita, primas fere partes obtineat; ab ea enim si quoquomodo deficiat, plurimum defecisse persuasum sibi habeat¹.

c) Idcirco, intra suae ditionis fines, bonorum librorum, ephemeridum, opusculorum ac optimorum diariorum diffusionem suo in grege Pastor curet, et ad rem nil intentatum dimittat. Ut, igitur, in suae paroeciae familiis, scholis, bibliopolis, viae ferreae stationibus, uno verbo, ubique optimos libros diariaque praesto fidelibus sint, sedulo curabit. — Si vero paroecialem bibliothecam circulantem constituit, vel saltem adeo complures innocui oblectamenti libros ipse habet ut mutuare fidelibus valeat, enixe laudabitur. Sed cum his, etiam nostris praesertim temporibus, qui nimii ponderis mentalis cibum fastidiunt, caute ac pedetentim agendum est, ne tanta improvida ratione gravati, et coetera quoque omnia spernant. Quapropter iuventuti praesertim, innocui semper ac saepe hi tantum libri exhibendi qui, sub liciti oblectamenti specie, rectas ideas indirecte tantum eorum in mentibus inserant, quod, complurimis aptis romanensium fabulis [*romanzi, Române*] et scientiarum libris assequi potest. Non omnibus, enim, omnia prosunt, et ut in salutari arte, infirmi necessitati medicinae aptantur, ita in morali curatione uti decet, ne rerum numero ac efficacia, potius detrimentum fideles patiantur. — Semper vero, Societates illas [*S. Hieronimi ecc.*] quibus bonorum librorum diffusio curatur, omni nisu adjuventur.

d) In praemiorum seligendis libris, qui in scholis, in catechismi certaminibus, uno verbo, in publicis ac privatis distributionibus elargiri

¹ Cfr. *Deliber. Episcop. Longobard.* 15 aug. 1902, 29 jun. 1908; Swoboda,

La cura d'anime nelle grandi città, Roma, 1912, pag. 362.